(2)

PRIMA DIOECESANA

SYNODUS

S. TRIVENTINÆ ECCLESIÆ

Ab Illustriss. & Reverendiss. in Christo
Patre & Domino,

D. ALPHONSO MARICONDA

Ejusdem S. Ecclesiæ Episcopo

Celebrata die XXVI. Julii
A.D. MDCCXXI.





BENEVENTI, MDCCXXIII.

Ex Typographia Archiepiscopali.
Superiorum Facultate.

Dono Ill.mi et Rev.mi Epi Mariconda.

Laudamus haec Synodus in alia Synodo ejusdem Moricondae de anno 1727. Tit. 28. cap. 8. ubi dicimus, "quod fuit Typis datum praecedente "Domini Regni Proregis, ejusque collatera-"lis consilii approbatione, ac annuentia. =

Notandum est quod habemus in Tit. XX. de Constitutionibus, ubi nonnullas abrogat sui Praedecessoris tam quoad ad mulctarum vel quoad ad censuras. = =

Sic in Synodo Salernitana Cardinalis Sabelli de anno 1653. in calce legitur Imprimatur pro quanto Regenes = In Synodo etiam Salernitana Archiepi Torres de anno 1681. in calce legitur approbatio Regentis Galeota Consiliarii Regalis Cancell. = Et hoc etiam habetur in Synodo Gallipolitano de eodem anno 1681. = = =

In Synodo Aversana de anno 1560 appro-batur a D. Carolo Petrus Regio Cons. Sulcciano. =



DOmenico Brindesi Canonico Cantore della Cattedrale di Trivento, riverentemente espone a V.E. come desidera fare stampare in cotesta Stamperia Arcivescovile il Sinodo Diocesano celebrato da Monsig. Illustriss. Mariconda Vescovo di d. Città, nel quale l' Oratore ha esercitato l'uffizio di Segretario; la supplica perciò della solita licenza, e l'havrà a grazia, ut Deus.

M.R.P. Rector Scholarum Piarum videat, & in scriptis referat. Beneventi die 18. Junii 1723.

PH. AB. COSCIA VIC. GEN.

Eminentiss. ac Reverendiss. Domine.

PRimæ Diœcesanæ Synodi Sanctæ Ecclesiæ Triventinæ ab Illustriss. ac Reverendiss. Dom. D. Alphonso Mariconda, ejusdem Ecclesiæ Pastore vigilantissimo zelo, parique sapientia, ac eruditione prædito, mense Julio sub die XXVI. MDCCXXI. celebratæ acta omnia, in hoc præsenti contenta libello, Em. Vestræ jussu, accuratè perlegi; In eisque nihil indecorum, nihil dissonum, nihil erroneum, sed omnia, & Fidei Catholicæ, Ecclesiæ Romanæ, Conciliorum statutis, & Patrum doctrinis conformia, ad Clerum reformandum, mores corrigendos, Populosque in necessariis pro salute instituendos videntur sancita. Quia de re ad tantam Cleri, Populorumque utilitatem prælo existimo perdigna, si ita Em. Vestræ videbitur.

Addictiss. ac Humill. Famulus
P. Jo: Petrus a S. Nicolao Schol. Piarum Rect.

Attenta supradictâ relatione, imprimatur. Beneventi die 22. Junii 1723.

PH. AB. COSCIA VIC. GEN.

Alfonſo Mariconda Veſcovo di Trivento eſpone a V. Ec. come ſotto li 26. del caduto meſe di Luglio del corrente anno 1721. *ſervatis ſervandis*, celebrò il primo ſanto Sinodo Dioceſano, e deſiderando farlo ſtampare, impetra, come conviene, il Regio beneplacito; Supplicando V. Ec. reſtar ſervita di commetterne la riviſione di eſſo a chi meglio le parrà, affinchè poi poſſa farſi dare alle ſtampe, e lo riceverà da V. Ec. a grazia, ut Deus &c.

Magnif. U.J. D. D. Ferdinandus Camarota videat, & in ſcriptis referat.

Mauleon R. Mazzaccara R. Giovene R. Piſacane R.

Proviſum per S. Emin. Neap. 5. Aprilis 1723.

Illuſt. Myro, & Alvarez abſentes. Maſtellonus.

Eminentiſs. Domine.

Studio, quo erat neceſſe, recognovi primam Diœceſanam Synodum S. Eccleſiæ Triventinæ ab Alphonſo Mariconda ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopo, menſe Julio anno 1721. celebratam; Nihilque in ea inveni, cur edi non valeat, nec ullum verbum, quo Regale jus perſtringatur; unde typis mandari poſſe cenſeo, ſi Em. V. videbitur. Neapoli die prima menſis Maji 1723.

Emin. V.

Humillimus Servus
Ferdinandus Camarota.

Viſa relatione, imprimatur, & in publicatione ſerve-tur Pragm.

Mauleon R. Mazzaccara R. Giovene R. Piſacane R.

Proviſum per S. Emin. Neap. 4. Maji 1723.

Illuſt. Myro, & Alvarez abſentes. Maſtellonus.

Illuſt. Dux Lauriæ non interfuit.

EPISTOLA PACIFICA.

ALPHONSUS MARICONDA,

Patritius Neapolitanus, Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus Triventinus, eidem S. Sedi immediatè Subjectus, Sacræ, Cæsareæ, & Catholicæ Majestatis Consiliarius, &c.

Dilectissimis in Christo Fratribus, & Filiis, Clero, & Populo Triventinis, Salutem in Domino sempiternam.



Nter mystica Judaicæ Religionis insignia, Talaris illa Pontificis Tunica altiorem omnium contemplationem implebat, quòd tam miro artificio desupèr contexta erat, ut quibusdam veluti oculis, colorum varietate depictis, concinnaretur. Inde potissimùm totius Hebraicæ Nationis oculos in se unum conjectos esse, Pontifex admonebatur; tum vicissim, quòd ipsemet commissum sibi Gregem undequaque circumspiceret, ne quid illi ad supernæ incolumitatis necessitatem deesset, & incrementum. Jam me habetis, Dilectissimi: eodem siquidem paludamento ornatum me veluti intuemini; ex quo Episcopalem vestrùm omnium mihi prorsus immerito demandatam solicitudinem suscepi: innumeris profectò oculis hæc distincta refulget, ut mysteriosa illa imitari videatur animalia, quæ plena erant oculis antè, & retrò. Vestrùm quidem omniũ

oculos in me unum defixos video, meosque vicissim in vos omnes conjicere, operæ pretium habeo, ac necessum. Vestri sanè obtutus a me uno cœlestes sacrarum doctrinarum radios, nō terrenarum opinionum vaporibus contusos, a me uno ingenuum Pastoralium virtutum omnium candorem, non illecebrarum cœno fœdatum, intueri satagunt, atque sperant. Meorumque pariter oculorum erit omnino averti, ne videāt vanitatem, inque pauperes frequēter respicere; nulla proinde desidiosa vecordia soporatos esse, nulla propria utilitate lipposos, nō intemperantia hebetes, non vilitate demissos, non fastu elatos, non iracundia accensos: sed adversùs scandala, si quæ essent (quod Deus avertat) seriò torvos, nec umquam eisdem ullo conniventes modo; semper tamen hinc zelo lynceos, inde benignitate amœnos, hinc inde justitia stabiles, undequaque prudentia versatiles: sicque semper vigiles ad Dei cultum fovendum, augendumque; non illum tantùm, quo Templorum ornamenta, externæque cæremoniæ inspiciuntur, sed potiùs, quo ad eum oculos levemus nostros, qui habitat in Cœlis, sintque ad ipsum ita saltèm nostri, sicut oculi Servorum in manibus Dominorum suorum.

Verùm quàm arduum, quàm ingens, meosque excedens humeros pondus sit, Pastoralem hanc Stolam, allegoricos hosce præseferentem oculos, induere, mecum habitans verè nosco, vobisque fateor. Satius proinde mihi foret, fulgida illa pretiosaque veste non indui, haeque tantùm atra humilique mei Benedictini Ordinis contentum esse. Hæc tamen mihi cogitanti, serioque animo revolventi, nescio quod, superhumanum tantummodo esse scio, robur, animumque inditum sensi, qui illico mentis oculos ad Cassinates Montes levare fecit, unde veniet auxilium mihi; atque utinam veniat,

quem-

quemadmodum venit tot innumeris eodem insignitis habitu, non ad Episcopales tantùm oculàtas has Tunicas, sed & sacras Purpuras, Pontificiasque Stolas primas circumhabendas!

Hac ego nuptiali redimitus veste, ad Triventinam Ecclesiam Sponsam amanter contuendam accurro; tota namque pulchra est, inque eo pulcherrima, quòd oculi ejus, quà fide non ficta, quà charitate simplici, sunt Columbarum. Ut & illud decus, illam omittam pulchritudinem, quam ipsi antiquissima ejus ex Samnio dat origo, vastissimaque amplitudo, qua inter Principes Aprutii Diœceses meritò connumeratur, quadraginta & septem continens Oppida, tum Nobilitate, tum virorum frequentia præstantissima. Nec vestram omittam, Ecclesiastici, Laicique Viri, blandam, ex benigno etiam climate, indolem, morumque suavitatem: vestramque insuper, Nobiles, Proceresque, terreno ibi dominatu pollentes, comitatem, humanitatemque quàm maximam. Quæ quidem omnia eò vos dirigunt, alliciunt, impellunt, ut clariori semper ferventiorique Religionis flamma illustrari curetis, atque foveri. Hæc ornamenta, hæc monilia Triventinæ Sponsæ utique tot ejus prævii dederunt viri, qui Æræ Christianæ penè quarto labente Seculo, a Divo Casto initio facto, ad hanc usque ætatem, sacro ipsi fœdere sunt copulati; quos inter acriores mihi stimulos admovere par esset, & deberet ejusdem meæ Gentis Julius Cæsar, qui a Gregorio XIII. ejus connubio destinatus, 24. annorum spatio ejusdem Thalamum illustravit; quandoquidem Cathedralem penè collapsam restituit, Canonicorum numerum, quē a reliquo sejunxit Clero, auxit, adque meliorem vivendi formam simul cum Populo manuduxit. Odeum, Organum, Suggestum, Altare primum, Archivum, Semi-

nari-

narium, aliaque construxit, verè Præsul æterna memoria dignus a clarissimis Scriptoribus appellatus. Hi profectò illi sunt, qui cùm olim ad Divinam vos Sapientiam, & Justitiam erudierint, nunc optimè incolumitati vestræ fulgent quasi Stellæ in perpetuas æternitates.

Resumam igitur demissas humilesque animi vires, tamque Cœlesti fultus omine, auxilioque fretus, gaudens lubensque, Pastorale munus vos inter adibo, mysticumque Pontificis amictum illum, allegoricis illis distinctum oculis induam. Atque ut ex integro mearum virium imbecillitas divino roboretur auxilio, descendat mihi jam a Patre luminum pars aliqua Solaris sui radii, sub quo universum Mundum collectum, Magno testante Gregorio, secundo suorum Dialogorum libro, meus intuitus est Benedictus; ut eadem sub luce istius amplitudinem Diœcesis inspiciam adunatam. Descendat & similis oculorum vis, qua idem Patriarcha haud aliter ac simplici intuitu, retorta Rustici cujusdam vincula enodavit, ut & ego ipsi innixus vigili vividoque visu tartareos omnes, si qui erunt in vobis, laqueos resolvam, confringam, atteram. Descendat mihi denique ad errorum tenebras eliminandas, concordiamque succendendam Cœlestis ignis, quo duo illi ex ejusdem Benedicti familia, veteres Antistites vestri Riccardus Cassini Montis, & Nicolaus Sublacensis Cœnobii, ambo eximia virtute alumni, undequaque coruscarunt: eodem siquidem munimine stipatus, & ego sperem, vestros pariter in me oculos inspecturos, quod Patre, ac Præsule indignum non erit vestro.

Quòd si quò minùs tot ceteroquin paulisper dissita virtutum luminaria mihi illucescant, an meos umquam effugiet oculos præsentissima isthæc radiorum copia nostri OEcumenici, verè Optimi, verè Maximi Pontificis feli-

feliciter Regnantis CLEMENTIS XI? Jamdiu profectò solidissimarum doctrinarum, sanctorumque morum illuxerunt coruscationes suæ Orbi terræ, ut nulli jam adeò rudes, adeòque a Catholicis regionibus devii sint viatores, quorum pedibus Verbum suum Lucerna, ac semitis Exemplum non sit Lumen.

Eja igitur, Dilectissimi in Domino Fratres, Filiique, unà omnes Fide precemur integra, Spe firma, Charitate perfecta. Illumina Domine oculos nostros, ne umquam obdormiamus in morte. Hìc namque vigiles, per speculum in ænigmate intuētes Immensum illud, Interminum, Divinum, Unum, Trinumque in Gloriæ Lumine suo videbimus Lumen. Fiat. Fiat.

Datum Romæ in Ædibus D. Callisti Quarto Idus Julii, Anno a Partu VIRGINIS Decimoseptimo supra Millesimum-Septingentesimum.



PA-

PASTORALIS EPISTOLA

PRO SYNODI CELEBRATIONE.

ALPHONSUS MARICONDA,
Patritius Neapolitanus, Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus Triventinus, eidem S. Sedi immediatè Subjectus, Sacræ, Cæsareæ, ac Catholicæ Majestatis Consiliarius, &c.

Dilectissimis in Christo Filiis, Capitulo, & Clero, Civitatis, & Diœcesis, Salutem in Domino sempiternam.



Ummus Sacerdos Alexander VII. cunctis Ecclesiæ Patribus loquens, hæc de Synodis habet (a): *Hoc enim persuasissimum vobis esse non dubitamus, nihil frequenti animarum recognitione Synodorum celebratione Populorum saluti, ac veteri disciplinæ constituendæ accommodatius esse, quo intermisso, magna in moribus continuò ad omnem improbitatem, ac peccandi licentiam facta est immutatio*. Hæc affirmant Patres in Concilio Constantiensi (b): *Agri Dominici præcipua cultura est, quæ vepres, tribulos, & spinas hæresum, & errorum, & schismatum extirpat, excessus corrigit, deformata reformat, & vineam Domini ad frugem uberrimæ fertilitatis adducit*. Hinc manavit illa necessitas a

A Sacris

(a) *Bulla* 20. (b) *Can.* 39.

Sacris Canonibus tam diligenter nobis imposita, quotannis Synodos convocandi; ut & in primo Concilio Nicæno (c), Antiocheno (d), Chalcedonensi (e), & postremò in Tridentino (f) statutum fuit. Hisce de causis, ex quo ad hanc Sanctam Triventinam Ecclesiam nullis suffragantibus meritis promoti fuimus, nihil nobis potius fuit, nihilque antiquius duximus, quàm hujusce Synodi celebrationem. Lustrata propterea per nostram Personalem visitationem universa utcumque amplissima Diœcesi, ad Synodi convocationem, & celebrationem ea, qua par est, diligentia, animum applicuimus; jamque Omnipotenti Deo gratias agentes, ad optatam metam perduximus operam. Cùmque ex Diœcefeos visitatione, & ex virorum omni exceptione majorum relatione deprehenderimus, quàm sit Clerus compositus, quàm instructus, & in Ecclesiastica disciplina versatus, quotque fructus dignissimus Prædecessor noster Fr. Antonius Tortorelli fel. record. ex Synodo ab ipso celebrata collegerit, ipsam in nostram adoptavimus, atque confirmavimus; quibusdam tantummodo detractis, aliquibus commutatis, quibusdam verò magis explicatis; cùm perpenderimus, & explorate cognoverimus, charitatem scilicet, tum injuria temporum, tum morum commutatione hominum in deterius tepuisse; cujus quidem ab ipsismet Generalibus Synodis probatissima habemus exempla; *Ipsa plenaria Concilia* (inquit Augustinus) (g) *sæpè priora a posterioribus emendantur, cùm aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur, quod latebat*. Plura abrogavimus Statuta, quæ tunc temporis æqua reputabantur, sed hodie ob te-

(c) *Can.* 5. (d) *Can.* 20. (e) *Can.* 19. (f) *Cap.* 2. *sess.* 24. *de reformat.* (g) *Lib.* 2. *de Baptismo cap.* 3.

teporem; qui magis magisque inolescit, neglectum potiùs, quàm observantiam sibi compararent. Ad quid pœnæ pecuniariæ, cùm earum exactio, vel eludatur, vel impræsentiarum perdifficilis reddatur, ac proinde leges, ceteroquin sanctissimæ, vilescunt, inque contemptum abeunt? Gladius Ecclesiasticus nobis tributus est, hoc Ecclesia assiduè usa est, hujus usum Ecclesiæ Rectoribus mandant Sacri Canones; nihil potissimùm in animo semper habuimus, quàm concordiam inter Sacerdotium, & Imperium pro posse fovere: Ecclesiasticam disciplinam, vel perturbatam restituere, vel vacillantem confirmare, vel conservatam augere; pietatem, bonos mores, & doctrinam propagare, ac promovere; paucissimas quasdam confirmatæ Synodo nos leges adjecimus; *Corruptissima Republica, plurimæ leges*, testatur Tacitus (*h*); *non enim in legibus condendis, sed in optima vivendi educatione, imbuendis animis salus Populorum consistit*; *malè educatos quidem* (inquit Cicero) (*i*) *exquisitè scriptas etiam violare leges ausuros, liberaliter verò institutos, honestos permansuros*. Unde, Dilectissimi Filii, sicut nos in his decretis nihil, nisi Dei gloriam, & vestram salutem ante oculos habemus, sic nihil optatius esse potest, quàm ut ita decreta serventur, ut pœnis, quæ delinquentibus impositæ sunt, nullus relinquatur locus; magisque tunc in agendo vestra Religio, & probitas, quàm nostra qualiscumque in decernendo diligentia commendabitur. Valete.

(*h*) 3. *Animalium.* *Annalium* (*i*) *In Areopag.*

INDICTIO SYNODI.

ALPHONSUS MARICONDA,
Patritius Neapolitanus, Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus Triventinus, eidem S. Sedi immediatè Subjectus, Sacræ, Cæsareæ, ac Catholicæ Majestatis Consiliarius, &c.

SYnodum Diœcesanam hoc anno, Deo adjuvante, habituri, ut Sanctorum Patrum instituta, præceptaque sequamur, neque pereat ille fructus, quem ex ea capere omnes possumus, monemus in Domino, ac pœnis Sacrorum Canonum, seu aliis ad arbitrium nostrum propositis, jubemus in virtute sanctæ obedientiæ, ut omnes, etiam Regulares, qui in Diœcesi nostra beneficia etiam simplicia, ac cujusvis generis, vel titulo obtiēnt, & quicumque, qui de jure, vel consuetudine Synodo hujus Diœcesis interesse debent, die vigesimaquinta proximi mensis Julii in nostra Triventina Civitate præsentes adsint, cùm die proximè sequenti, nempe 26. ejusdem mensis Julii, summo manè in nostra Cathedrali Ecclesia, eidem Synodo, Deo favente, initium dandum sit; neque verò pro se alios mittendi, nisi qui legitimo detineantur impedimento, quod nobis probaverint, licentiam sibi assumant. Volumus autem; ut hæc Synodi Indictio affixa valvis Cathedralis Ecclesiæ, ita omnes, & singulos interesse debentes afficiat, ac si fuisset singulis singulatim intimata. Datum Triventi ex nostro Episcopali Palatio die 19. Junii 1721.

ALPHONSUS EPISCOP. TRIVENTINUS.

Affixa fuit die decimanona Junii 1721.

D. Cantor Brindesi Secr. Synodi.

DE-

DECRETUM

De Synodi Inchoatione.

In nomine Sanctissimæ, & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

NOs Alphonsus Mariconda, Patritius Neapolitanus, Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus Triventinus, eidem Sanctæ Sedi immediatè Subjectus, Sacræ, Cæsareæ, ac Catholicæ Majestatis Consiliarius, &c. Ad Dei Omnipotentis, & Beatissimæ Virginis Dei Matris MARIÆ, Sanctorum Christi Martyrum Patronorum, ac Tutelarium nostrorum Nazarii, Celsi, & Victoris, atque Sancti Patris Benedicti laudem, nostram primam Diœcesanam Synodum incipimus, & exordimur; Deum ipsum Omnipotentem humillimè deprecantes, ut pro sua misericordia, ac precibus & meritis ejusdem Beatissimæ Virginis, ac præfatorum, & aliorum Sanctorum, ex hoc sacro cœtu lumen, & spiritum, sicut speramus, omnes, ad nostra peragenda officia juxta ipsius voluntatem, reportemus.

Reliqua decreta in Synodo habita, videlicet: de modo vivendi in ipsa Synodo, cum tabella disciplinæ Synodalis: de ministris Synodi, cum eorum catalogo: de præjuditio non afferendo: de non discedendo a Civitate: de Oratione publica: de Fidei professione: de Clero vocando, & servitio Synodali agendo: de Officialibus Cleri, & alia, quæ in Sessione fieri solent, brevitatis gratia hìc omittũtur; habentur tamen in actis totius Processus Synodalis, quæ in Archivo Episcopalis Curiæ asservantur.

TITULUS I.
De Summa Trinitate, & Fide Catholica.

CAPUT UNICUM.
Munia adimplenda per Parochos primà Dominica cujuslibet Mensis, Festisque solemnibus post Euangelii enucleationem decernuntur.

QUoniam ad planiorem, ac saniorem Mysteriorum nostræ Orthodoxæ Fidei interiorem assensum, exterioremque confessionem (quorum primum, ut ait Apostolus, ad Justitiam, secundum verò ad Salutem necessarium est), summopere pertinere existimavimus, ut præter ea, quæ de Fidei doctrina addiscenda, atque edocenda in Prædecessoris nostri salutaribus Institutis exhibita, ac sancita sunt, virtutum quoque Theologaliũ non solùm interiores actus exerceantur, sed etiam quædam exacta formula recitetur; ideo omnino statuimus, & decernimus (prout ab initio nostri Præsulatus primis Quadragesimalibus Edictis imposuimus), ut omnes Parochi expressè doceant Populum, fuisse proscriptas, ac jure merito profligatas sequentes propositiones a fel. record. Alexandro VII. n. 1. (k), nempe: *Homo nullo umquam suę vitę tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum divinorũ ad eas virtutes pertinentium*; & ab Innocent. XI. nu. 17. (l): *Satis est actum Fidei semel in vita elicere*; sciantque, singulis primis Dominicis cujuslibet mensis, ac solemnibus Festivitatibus, prout ipsi judicaverint salubriùs expedire (ex-

(k) 24. *Septembris* 1665. (l) 2. *Martii* 1679.

(expleto ſermone conſueto ſuper Evangelio) pro dictarum trium Theologalium virtutum actibus rite addiſcendis, ac eliciendis, pedetentim, ac de verbo ad verbum, clara, diſtincta, elataque voce a ſemetipſis (ut ab omnibus bene audiri, ac percipi poſſit), ac ſola mente & corde a Populo ad rumorem, confuſionemque vitandā in Eccleſia, ſequentem formulam modo ſuperiùs relatam, & in eiſdem noſtris Quadrageſimalibus Edictis expreſsè appoſitam fore recitandam; Atque in informandis pueris, & puellis ſuper ceteris Chriſtianæ Doctrinæ Myſteriis, ita illos, illaſque ſubjectam formulam edoceant, ut, niſi ab ipſis ſciatur, ac memoria teneatur, ad primam Sacramentalem Communionem minùs admittant; & inſimul eoſdem pueros, & puellas imbuant, & erudiant, ac hortentur, ſe ſub mortali, præſertim in imminenti mortis periculo, urgenti gravi in contrarium tentatione, præcepti Paſchalis adimpletione, & ceteris ſolemnibus Chriſtianæ vitæ ſacris functionibus, debere prædictos actus revera exercere. Quæ omnia & ſingula ſub pœna carolenorum decem pro qualibet vice adimpleant Parochi, & exactè exequantur.

FORMOLA

Degli Atti di Fede, di Speranza, e di Carità.

Atto di Fede.

IO credo fermamente, perchè così ha rivelato Dio alla Santa Chieſa Cattolica, che c' è un ſolo Dio, e tre Perſone Divine uguali, che ſi chiamano Padre, Figliuolo, e Spirito Santo; delle quali ſe bene ciaſcuna ſia Dio, nondimeno non ſono tre Dei, ma un ſolo Dio, per-


perchè tutte queste tre Persone hanno la medesima Essenza, e Divinità, e che il Figliuolo si fece huomo, prendendo per opera dello Spirito Santo, Carne, ed Anima umana nel ventre della purissima Vergine Maria, e che morì per noi in Croce, risuscitò, e salì al Cielo, e di là ha da venire alla fine del Mondo a giudicare tutti i vivi, ed i morti, per dare per sempre a' buoni il Paradiso, ed a' cattivi l' Inferno; e di più per l' istesso motivo credo tutto quello, che crede, ed insegna la medesima Santa Chiesa.

Atto di Speranza.

DIO mio, perchè siete Onnipotente, ed infinitamente misericordioso, io spero, che per gli meriti di Gesù Cristo nostro Salvatore, e se farò opere da buon Cristiano, come propongo di fare con il vostro santo ajuto, mi darete la vita eterna.

Atto di Carità.

DIO mio, perchè siete sommo e perfettissimo Bene, vi amo con tutto il cuore, e sopra tutte le cose, e più tosto d' offendervi, son disposto a perdere ogni cosa; e per amor vostro amo ancora, e voglio amare il mio Prossimo, come mè stesso.



TI-

TITULUS II.

De Conſtitutionibus.

CAPUT I.

Confirmantur Conſtitutiones Synodales ab Illuſtriſs. & Reverendiſs. Domino Prædeceſſore noſtro Fr. Antonio Tortorelli fel. record. editæ ſub anno Domini 1688.

CUm igitur ; quarto jam abſoluto noſtri Præſulatus anno , univerſæ noſtræ Diœceſis viſitationem peregerimus, perque eam Eccleſias, Cleros, & Populos, eorumque mores perluſtraverimus, abunde animadvertimus & cognovimus, Statuta, Decreta, & Synodales Sanctiones , per b. m. Illuſtriſs. & Reverendiſs. Dominum Fr. Antonium Tortorelli noſtrum immediatè Prædeceſſorem, edita, juſſa, & ſancita ſatis eſſe ad diſciplinam Eccleſiaſticam , & ad Gregem a Deo nobis commiſſum in officio continendum ; proinde operæ pretium duximus , ea, juxta eorum ſeriem & tenorem, ac de verbo ad verbũ fore confirmanda, prout præſenti decreto confirmamus, & quatenus opus ſit, iterum innovamus; præcipientes ea in poſterum inviolabiliter obſervari, ſub pœnis in eiſdem conſtitutionibus, & decretis appoſitis, & aliis noſtro arbitrio : cum additione tamen , & adjectione quorumdam noſtrorum Decretorum , quibus aliqua illis adjicimus, aliqua de eiſdem Synodalibus Conſtitut. & Decretis non immeritò detrahimus , aliqua verò magis explicamus , ceu nobis viſum eſt magis expedire , ac conducere Saluti Animarum noſtræ curæ , & Paſtorali ſolicitudini

commissarum, Laicalium Universitatum quieti,& denique Regalis Jurisdictionis indemnitati; Cùm Salvator noster Christus Jesus in suo ipsius Evangelio (m), ea quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo fore reddenda; quemadmodum cunctis notum est, apertè asseveret, & mandet.

CAPUT II.

Peccata carnalia, Stupri scilicet, Incestus in primo & secundo gradu, Consanguin. sive Affinitatis corporalis, & spiritualis, Sodomiæ perfectæ, Bestialitatis, Concubinatus, atq; Congressus carnalis inter Sponsos per verba de futuro, esse reservata quoad Viros tantùm, enuntiatur.

Cum dubium nullum sit, quin mulieres propter gravia crimina, quæ quandoque perpetrarint, seu veriùs ob quandàm noxiam erubescentiam,& pudorem, quem veternosus, & virulentus Inimicus earum ante oculos mentis ponit post lapsum, faciles sint in Sacra Exomologesi ad illa conticenda; ac præsertim si noverint suas graves, & atroces noxas, non a quibusvis, sed dumtaxat a Confessariis facultatem a reservatis absolvendi habentibus, posse remitti; ut tanto malo occurramus, & ne Pœnitentiæ Sacramentum, quod ad animarum salutem a Christo Domino institutum est, causa fiat obductionis æternæ: summo jure sancimus, peccata carnalia, Stupri scilicet, Incestus in primo & secundo gradu, Consanguinitatis, & Affinitatis corporalis, & spiritualis, Sodomiæ perfectæ, Bestialitatis, Concubinatus, at-

(m) *Matth.* 22. 21.

atque Congressus carnalis inter Sponsos per verba de futuro, reservata absque excomunicatione ab eodem Illustriss. Prædecessore nostro in suis Synodalibus Constitutionibus, sub titulo 20. de Sacramento Pœnitentiæ in calce duodecimi Capitis, promiscuè quoad viros, & mulieres, esse quoad viros deinceps solummodo reservata.



CAPUT III.

Permittitur diebus Festis Pistoribus publicis panificium, sicut & venditoribus panem vendere, abrogata pœna in Synodo nostri Prædecessoris statuta.

Quamvis omnes teneantur diebus Festis se ab operibus servilibus abstinere, nisi aliud suadeat pietas, vel necessitas urgeat, vel publica utilitas exigat; cognoscentes Nos tamen, & perpendentes, non parum conducere communi utilitati, & necessitati, panis confectionem, aliorumque comestibilium diebus Festis, & illorum venditionem, ad subveniendum præsertim pauperibus indigentibus, ac viatoribus: declaramus Pistores, & publicos venditores panis, dictorumq; comestibilium, ad prædictorum præsertim usum, tam pauperum, quàm viatorum, immunes ab omni pœna a nostro Prædecessore in sua Synodo *cap. 2. de observatione Festorum* diebus Festis laborantibus inflicta, permittentes eis ipsorum impunè exercere opus; memorantes denique cunctis, Deum nostrum, qui pius est, & benignus, & cujus jugum suave, & onus leve, ex sua in Nos benignitate, pondera humeros nostros excedentia minimè nobis imponere voluisse. videatur sup hoc D. Thom 1. 2. q: 107, ar: 4. ubi quaerit an lex nova sit gravior quam vetus, et laudat ... dictum ex Epistola D. Augustini ad Januarium, libro 119. nunc 55. = ... Na-

Natalis Alexander in Theolog: dogm: et morali Lib. II. de Sacris in genere cap. VIII. Prop. I. pag: 202. Tomi secundi editionis in octavo

CAPUT IV.

Aliæ abrogationes, detractiones, caſtigationes, & explicationes in Synodales prædictas Conſtitutiones Illuſtriſs. Domini noſtri Prædeceſſoris ſub uno capite collectæ, & comprehenſæ.

CUm in perlegendis noſtri Prædeceſſoris recenſitis Synodalibus Conſtitutionibus intentè perpendiſſemus, quæ nobis ad præſens viſa ſunt abroganda, de illis detrahenda, atque diminuenda, quæque magis explicanda, ut cunctis, (quoad fieri poteſt) per nos proſpectum eſſe cognoſcatur, quemadmodum ab initio in decreto confirmationis earumdem Conſtitutionum, non obſcurè, a nobis faciendum eſſe, innuimus; idcircò ſub uno tantùm decreto, & capite, ad vitandam prolixitatem, detractiones, abrogationes, & explicationes prædictas fieri decernimus, & præcipuè eorum, quæ nunc temporis ſuum non conſecutura effectum animo revolvimus, & difficillimè eſſe ad praxim reducibilia (quod cum apertè cognoviſſemus, ex iis, noſtro Præſulatus tempore ſumus paſſi multa impunè fieri), ſed etiam inter poteſtatem Eccleſiaſticam, & Laicalem contētiones, & controverſias excitare, cauſare, & commovere dilucidè, & exploratè experti ſumus. Unde:

Sub Tit. IV. Cap. I.

POEnam Excommunicationis, & librorum amiſſionis contra non exhibentes notam omnium librorum (cùm nullibi ſic generaliter inveniatur ſtatuta) meritò abolemus: ſed ſolùm per inſtructionem Clem. VIII. adjectam regulis Indicis §. I. monemus unumquemque retinen-

tinentem penes se libros in Indice prohibitos absque licentia Sac. Indic. Congr. incidere in Excommunicationem sancitam, & innovatam in eadem S. C. I.

Cap. II. sub eodem Tit.

PRohibitionem introductionis librorum in hanc nostram Diœcesim indiscriminatim factam, sive ad usum proprium, sive ut illos introducens vendat, nullius esse roboris, mandamus; sed solùm intelligendam esse de libris, ut suprà prohibitis, non verò de aliis non vetitis.

Cap. III. sub eodem Tit.

CUm regula in dicto capite tradita de libris prohibitis ab aliquibus cum explicatione, tamquam restrictioni obnoxia, accipiatur, utpote quia habeatur regula secunda Indicis a Tridentino tradita, ex qua non omnes libri ab Hæreticis compositi sunt proscripti, sed solùm ab Hæresiarchis, & tractantes ex professo contra Fidem Orthodoxam; Idcirco non tam latè accipiendam esse sedcum restrictione intelligendam esse, explicamus.

Sub Tit. V. Cap. III.

REgulam, per quam statuitur, ut nominatio Concionatoris fiat convocato parlamento Universitatis, &c. intelligendam esse de illis locis, in quibus talis viget consuetudo; secùs verò de locis aliis, in quibus hujusmodi consuetudo non extat, declaramus.

Cap. IV. sub eodem Tit.

POEna caroleni unius inflictæ non interessentibus concioni, ex decreto Sac. Congr. in Castellaneten. 20. Augusti 1602. Canonicos, vel Participantes nolumus

mus subjici, neque esse obnoxios, cùm contra eos sit statuta pœna amissionis distributionis illius diei; sicuti & abrogamus pœnam impositam in eodem capite adversùs non claudentes apothecas, & officinas, dum Concio ipsa habetur.

Sub Tit. VI. Cap. III.

POEnam ducatorum trium contra depingentes, vel pingi, vel apponi facientes Imagines in Ecclesiis, vel locis piis, nisi priùs delineatæ a Pictoribus, ostensæ fuerint Episcopo, vel Vicario Generali, volumus afficere deinceps solùm Clericos, non autem laicos, quos tamen pœnæ Interdicti Ecclesiastici, si in hoc deliquerint subjiciemus.

Sub Tit. VII. Cap. I.

POEnam Censurarum statutam in non denuntiantes blasphemos, decernimus in posterùm afficere tantùm eos, qui audiverint aliquem blasphemum proferentem blasphemiam Hæreticalem, quæ est conjuncta cum errore Fidei, non verò simplicem, quæ cum tali errore conjuncta non invenitur.

Sub Tit. IX. Cap. II.

ABrogantes pœnam trium librarum ceræ albæ laboratæ impositam in laborantes diebus Festis, statuimus, transgressores Festorum afficiendos esse pœna Ecclesiastici Interdicti, si tamen semel & iterum correpti a suis Parochis, adhuc contumaces fuerint; sicut & quemcunque Confessariorum a nobis approbatorum posse eos ab hujusmodi peccato absolvere; & si per sex vices in id prolapsi fuerint, Pœnitentem haud absolvant, nisi imposita ei gravi, & salutari pœnitentia, ut de cetero

tero

tero a tali noxa abstineat, & abhorreat.

Cap. III. sub eodem Tit.

ABolendum integrè decernimus idem Caput, in quo prohibentur fieri diebus festis executiones personales, sive reales, etiam pro solutionibus Fiscalibus, sub pœna Excommunicationis, cùm maximè a Potestate Laicali sunt sancitæ modestæ, & debitæ coercitiones contra carcerantes diebus Festis; onerantes tamen graviter conscientias Ministrorum Laicorum, ut ab hujusmodi executionibus, sive personalibus, sive realibus, se abstineant pro observatione, quoad ad hoc, dierum Festorum; necnō præcipitur in eodem capite Vicariis Foran-is, & Archipresbyteris, ut notificent hujusmodi decretum Gubernatoribus, Judicibus, Universitatibus, & Executoribus: nam hoc prædictæ abolitionis expressione intelligendum esse significamus.

Cap. IV. sub eodem Tit.

NUllitatis contractus pœnam impositam, si contigerit præstari juramentum in contractibus sine licentia Episcopalis Curiæ diebus Festis, prorsus tollendam fore sancimus, præsertim si contractus inter personas Laicas celebretur, vel saltèm si unus ex contrahentibus Laicus foret.

Cap. V. sub eodem Tit.

PRohibitionem, qua interdicitur Circulatoribus, ne Feriis sextis exhibeant ridicula, & vana spectacula, etiam prætextu vendendi medicamina in conspectu Cathedralis Ecclesiæ, vel aliorum locorum Matricis Ecclesiæ sub pœna librarum decem ceræ albæ laboratæ, abrogatam esse declaramus; dummodo tamen in aliqua ex

Feriis

Feriis ſextis dies feſtus non occurrat, quia in eo caſu ipſos ab illis ſe debere abſtinere monemus.

Sub Tit. XI. Cap. I.

PEcuniariam pœnam in dicto capite impoſitam contra deambulantes,& confabulantes in Eccleſia,dum Sacrum peragitur, verbum Dei prædicatur, & Divina penſa perſolvuntur, ſicut & adversùs clamantes, rixantes, tumultuantes, commeſſantes &c. omnino abolemus; verùm in idem Decretum peccantes, a nobis per Cenſuras diſtrictè coercendos, & plectendos fore indubitanter noverint.

Cap. VIII. ſub eodem Tit.

CUm onus Eccleſiæ verrendæ,non ad Clericos, ſed ſolùm ad Sacriſtam pertineat, ipſos ab hujuſmodi onere declaramus immunes.

Sub Tit. XII. Cap. VI.

ABolemus itidem Excomunicationem latæ ſententiæ inflictam Sindicis, & Electis, & cuicumque Officiali Temporali, milites, vel ſatellites hoſpitio recipiendos in domibus Eccleſiaſticorum, deſtinantibus.

Sub. Tit. XIII. Cap. II.

ABolemus etiam pecuniariam pœnam decretam adversùs Procuratores montium pietatis, Monaſteriorum Monialium, aliorumque locorum piorum Eccleſiaſticorum,non conficientes ſpatio duorum menſium nova inventaria bonorum ſtabilium eorumdem locorum;firma tamen remanente Excommunicationis pœna in Decreto ſtatuta.

Cap.

Cap. III. sub eodem Tit.

EXcommunicationem latam in non revelantes usurpatores, illicitosq; detentores bonorum, fructuum, censuum,&c. locorum piorum Ecclesiasticorum, abrogatam; & abolitam esse sancimus, cùm satis sit, illam ex Decreto Sac. Conc. Trid. sess. 22. cap. 2. de Reformat. afficere, ac ligare ipsos usurpatores, atque detentores illicitos.

Sub Tit. XIV. Cap. III.

REgulam de Legatis piis non solutis suo tempore, & deinde a Reverenda Fabrica S. Petri de Urbe in totum, vel in partem exactis, debere scilicet tunc heredes priùs requisitos, & sua ipsorum avaritia, vel incuria non illa solventes, pati, ac subire damnum, non verò Ecclesias, in quarum favorem Legata facta erant, jure merito abolemus, ne in messem alienam falcem mittere videamur.

Sub Tit. XV. Cap. VI.

MUlctam pecuniariam vigintiquinque ducatorum solvendam ab iis, qui cadavera defunctorum, postquàm Ecclesiasticæ sepulturæ tradita sunt, exhumare, non servatis de Jure servandis, nequaquam dubitarent, ad finem capiendorum indiciorum per Curias Laicales, de medio tollimus, respectivè ad Laicos; quos tamen volumus in hujusmodi casu Excõmunicationis pœna irretiri: firma nihilominus, & in suo robore permanente utraque pœna, quoad Ecclesiasticos, vel exhumantes ut suprà, vel exhumari permittentes.

C Sub

Sub Tit. XVI. Cap. II.

POEnam carceris,vel aliam pro gravitate culpæ infligendam tam Parochis, quàm aliis Confessariis, & Sacramentorum Administratoribus,qui quacumque diei, vel noctis hora vocati ad Sacramenta administranda illico non accederent; ac proinde æger, vel sine Sacramentorum susceptione, vel sine animæ commendatione ex hac vita migraret, restringimus ad solos Parochos, eorum Coadjutores,& ad quemlibet alium Sacerdotem, qui in eo necessitatis casu ex justitia, non verò ex charitate, & Sacramenta administrare, & animam ægrotantis commendare deberet.

Cap. III. sub eodem Tit.

VOlumus, ut deinceps Clericus, sive majoribus, sive minoribus insignitus, qui quotannis ad hanc nostram Cathedralem pro receptione Sacrorum Oleorum, Feria Quinta in Cœna Domini,vel die antecedenti mittendus est,Ecclesiæ Curatæ cujuscumq; loci impensis ille mittatur.Quòd si in aliquo ex Oppidis nostræ Diœceseos plures Ecclesiæ Curatæ fuerint, uti in Anglono,Frusinone, Castrosangro, Balneolo, Rhodio, Borrello, & Castropineano, tunc proportionaliter, & æquè ab illis Ecclesiis impensæ erogandæ, & faciendæ erunt.

Sub. Tit. XX. Cap. V.

CUm communi consuetudine ubique locorum receptum sit, sufficere Fidelibus, ut satisfaciant præcepto annualis Confessionis, & Communionis, si sua peccata cuilibet Confessariorum approbatorum confiteantur, Sacram verò Synaxim de manu proprii Parochi recipiant, declaramus, neminem suo ipsius Parocho

Sacra-

Sacramentalem Exomologesim facere, sed solùm de manu illius Dominicum Corpus tempore Paschatis sumere teneri.

Sub Tit. XXII. Cap. III.

QUotiescumque evenerit, ut Gubernatores, Judices, Ministri de Regimine, aliique, ad quos spectabit, ad primam Clericalem Tonsuram promovendis facere fidem renuant, ipsos scilicet Promovendos in Curia Seculari inquisitos non reperiri; statuimus, haud procedendum esse adversùs eos ad Ecclesiastici Interdicti pœnam, sed ad illorum Superiores majores fore recurrendum, ut Jure medio illos ad recensitam faciendam fidem compellant.

Cap. VI. sub eodem Tit.

SI quis posthàc aggregatus servitio alicujus Ecclesiæ in hac nostra Diœcesi, etiam nostræ Cathedralis, per mensem abfuerit, ex quavis causa (excepta infirmitatis), decernimus, non illico deveniendum esse ad privationem loci, quem ille obtinebat, sed solùm post duos elapsos menses, præmissis etiam debitis monitionibus, ac omnibus aliis de Jure faciendis; verùm sub hoc Decreto non comprehenduntur ii, qui per duos menses, & ultrà, nostra, vel nostri Vicarii Generalis licentia in scriptis concedenda absentes fuerint, nec etiam comprehenduntur, quorum aggregationes habent vim Beneficii, vel quasi, contra quos procedatur juxta Sacros Canones.

Sub Tit. XXIII. Cap. II.

ETsi adversùs contrahere audentes matrimonium, non præmissis solemnitatibus a Jure requisitis, in dicto Capite sit statuta, ac sancita pœna ducatorum viginti, & in subsidium, Excommunicationis; Nos nihilominus

secundam pœnam Censurarum confirmãtes,& corroborantes; cui eos omnino in casu hujusmodi temeritatis, & transgressionis subjiciemus, annullamus, & abrogamus primam pecuniariam.

Cap. VII. sub eodem Tit.

ITem abrogantes pœnam ducatorum decem, impositam Sponsis de futuro in eadem domo cohabitantibus, aut convenientibus, aut inter se colloquentibus, sancimus,& mandamus,illos innodandos esse Excommunicatione,si Nobis legitimè constiterit, se talia perpetrasse, & ipsorum commercium illicitum fuisse.

Sub Tit. XXVII. Cap. IV.

AD medietatem reducentes pœnam sex ducatorum impositam Personis Ecclesiasticis, tam non abstinentibus se a venatione cum armis,quàm lusoribus alearum, & taxillorum, delemus, & abrogamus trium ducatorum mulctam inflictam iis, qui alios ludentes, sive clangulùm, sive palàm viderent.

Cap. V. sub eodem Tit.

ECclesiasticis nostræ Diœcesis permittimus detentionem armorum non prohibitorum domi ad sui defensionem; Pro Clericis verò arma prohibita cujuscumque generis sint, in domibus retinentibus, statuimus pœnam viginti ducatorum,& in subsidium, Excommunicationis, dummodo Nobis detentio eorumdem armorum legitimè constet; si tamen cum eis quis illorum apprehensus fuerit, & in nostra Curia Episcopali clarè constiterit, ipsum damnationis pœnam ad triremes per annos duos tantùm non effugiturum; Insuper, Clericus, qui deprehensus fuerit sine causa ulla a Jure permissa,

extra

extra domum sine habitu, per quinque, aut sex vices; graviter nostro arbitrio mulctabitur, cassando omnino pœnam carceris in eisdem nostri Prædecessoris Constitutionibus impositam.

Cap. VI. sub eodem Tit.

ETsi vigore Synodalium Constitutionum recēsiti nostri Prædecessoris vetitum sit Ecclesiasticis nostræ Diœcesis de illius finibus discedere sine Prælati licentia sub pœna ducatorum sex; Nos tamen ne videamur magis onerare, sed potiùs quodammodo levare nostros subditos aliquibus oneribus, quæ illis importabilia usquemodo visa sunt, indulgemus eis, ut valeant etiam sine nostra licentia discedere ab eadem Diœcesi, & abesse per octo dies in casu repentino, seu eorum necessitatis, dummodo tamen accessus non sit ad nundinas, quo tempore dierum octo elapso, & ipsis non revertentibus, decernimus in eo casu medietatem pœnæ in prædictis Constitutionibus, transgressoribus inflictæ, eos esse omnimodè soluturos; Parochis verò in eodem casu repentino permittimus pariter discessum a Diœcesi, & absentiam ab illa per quatuor dies, si tamen alium Sacerdotem substituant, qui eorum vices in cura animarum gerat. At si ultra id tempus absentes fuerint, vel non suffecto alio Sacerdote in suum ipsorum locum, discesserint, graviter eos pro modo culpæ plectemus.

Sub Tit. XXXII. Cap. I.

FUstigationis, & exfractationis pœnam in Lenones, sive masculos, sive feminas comminatam, in Excommunicationis animadversionem commutamus. Quòd si hujusmodi coercitione affecti ullo modo resipiscere noluerint, tunc per Magistratus Seculares illos prædicta fusti-

fuſtigationis, & exfractationis punitione plectendos eſſe pro poſſe curabimus; contra verò Concubinarios ſerventur examuſſim pœnę illis a Sacris Canonibus inflictę, deletis quibuſcumque aliis in Synodo noſtri Prædeceſſoris appoſitis.

Sub Tit. XXXVI. Cap. III.

VEterrimam Conſuetudinem non congregandi Capitulum noſtræ Cathedralis ſine noſtra, vel noſtri Vicarii Generalis licentia, mirum in modum a noſtris Prædeceſſoribus laudatam, & approbatam, Nos pariter laudamus, approbamus, atque confirmamus; Volumus autem (ad oſtendendum amorem, quo idem noſtrum Capitulum præ omnibus proſequimur), ut poſt petitam ſemel per ipſum a Nobis, vel a noſtro Vicario Generali licentiam prædictam, ſe congregandi, illa ſemel conceſſa, ſit perpetuò duratura, dummodo ob aliquam juſtam cauſam revocata non fuerit, excepto tamen caſu aggregationis faciendæ alicujus ſimplicis Presbyteri ad medietatis emolumentorum participationem, in quo decernimus, ipſum tunc teneri licentiam petere ſe congregandi, ad finem eamdem aggregationem faciendi; ſi ſecùs factum fuerit, aggregatio ipſo Jure nulla ſit, & irrita, ceteris verò, quæ in dicto Capite ſancita ſunt, firmiter, & in ſuo robore permanſuris.

CAPUT V.

Diminuuntur tetere Mulctæ pecuniariæ appoſitæ in Synodo Diœceſana noſtri Prædeceſſoris, de quibus in ſuperioribus Decretis nulla facta eſt mentio.

IN quibuſcumque locis Synodi noſtri Prædeceſſoris, ubi agitur de pecuniariis mulctis, quas vel non abro-

fogavimus, vel non minoravimus in aliis nostris Decretis, decernimus & sancimus, transgressores illarum pœnalium Constitutionum in futurum non damnandos esse ad integram pœnam, sed solummodo ad pœnæ medietatem contra Personas Ecclesiasticas; contra verò Laicos omnino abrogamus, ut cuncti apertè cognoscant, & fateantur, Nos tamquam Patrem & Pastorem, amorem cum timore conjũgere, & severitatem cum lenitate miscere, juxta Scriptorum interpretationem (n) super illud Psalmi 44. *Accingere Gladio tuo super femur tuum, potentissimè; Specie tua, & Pulchritudine tua.* Gladius enim timorem designat, Species verò innuit amorem.

CAPUT VI.

De Examinatoribus Synodalibus.

Animarum saluti maximè expedit, eas a dignis, atq; idoneis Rectoribus gubernari; cùm autem id præcipuè ab Examinatoribus pẽndeat, ex præscripto Sac. Conc. Trid. in hac nostra Synodo viros spectatæ virtutis, solidæque integritatis eligi volumus (o), qui omnes de incorruptè, & fideliter exercendo suo munere, quacumque postposita humana affectione, jurabunt ad Sancta Dei Euangelia in nostris, vel nostri Vicarii Generalis manibus in hanc, quæ sequitur, formam.

Ego N. N. Synodalis Examinator ab Illustriss. & Reverendiss. Domino D. Alphonso Mariconda Episcopo Triventino nominatus, & a S. Synodo approbatus, promitto, spondeo, & juro, me omni spe, metu, præmio, ac humana affectione remotis, munus meum hoc rite, & rectè adimpleturum. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

Ca-

(n) *S. Joan. Chrysost. in Psalm. 44.* (o) *Elenchus Examinatorum in calce hujus Synodi annectetur.*

Caveant autem prædicti Examinatores, ne quidquam prorsus occasione Examinis, vel antè, vel pòst accipiant; alioquin ſimoniæ vitium, tam ſe, quàm alios dantes incurſuros noverint; a qua quidem hi abſolvi non poterunt, niſi dimiſſis Beneficiis, quæ quomodocumque obtinuerunt, & ad alia impoſterùm inhabiles reddentur. Benignè, & humaniter præfati Examinatores ſeſe gerant cum Examinādis, ne timore concepto perterreſiant, eaque tantummodo perquirant, quæ ad Parochiale munus, & animarum curæ exercitium pertinent; completoque Examine, nemini prorsus, niſi Nobis, vel Vicario noſtro Generali aſſiſtentibus, approbatos, vel reprobatos, ſuffragiorum numerum, quidve in Examine evenerit, ullatenus manifeſtent.

Et quoniam audivimus, alibi, quod ceteroquin non planè credimus, a ſingulis Examinatoribus Synodalibus ſingulos aſſumi Curſores, neſcientes Nos tamen ad quem finem Curſores ab eiſdem Examinatoribus aſſumantur, cùm hi aliud peragere non valeant, niſi examinare concurrentes ad regimen Eccleſiarum Curatarum, illoſque vel approbare, vel reprobare; Idcirco Nos, qui non diſſidia, & diſcordias excitare, ſed concordiam fovere, & novitates fugere cordi ſummopere habemus, mandamus omnibus, & ſingulis Examinatoribus, ſive Secularibus, ſive Regularibus in hac noſtra Synodo electis, ne ullo pacto audeant ſibi Curſores aſſumere, maximè cùm nullo umquam tempore in hac noſtra Diœceſi iſthæc extiterit conſuetudo; Imò nec permiſimus noſtri Præſulatus tempore, nec patiemur deinceps, Curſores aſſumi a noſtris Vicariis Foraneis, & Parochis Diœceſis, quibus magis illis opus eſſe aliquando poſſet, & Nos tam pro Civitate, quàm pro aliis locis noſtræ Diœceſis, licèt non pauca ſint, utpotè quadraginta

ginta ferè sex, non plùs quàm sex tantùm Cursoribus universim contenti sumus.

CAPUT VII.

De Judicibus Synodalibus.

CUm ex decreto Sacrosancti Conc. Trid. (o) præcipiatur in singulis Conciliis Provincialibus, aut Diœcesanis, aliquot personas designari, habentes qualitates requisitas a Constitutione Bonifacii VIII. incipiente *Statutum* (p), nempe Dignitate Ecclesiastica præditas, aut Personatum obtinentes, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonicos; & alioquin ad id aptas, prout ex Constitutione Gregorii XV. quibus præter Ordinarios locorum, de cetero Ecclesiasticæ, ac Spirituales causæ, & ad Forum Ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandæ, committantur a S. Sede Apostolica, vel ab ejusdem Legatis, ac Nuntiis, ideo Judices Synodales remanent nobis constituendi (q). Meminerint itaque, se debere judicare in æquitate, & veritate, strictissimam de hoc Deo Supremo Judici reddituri rationem. Causas ipsis a Superioribus Judicibus delegatas, qua majori expedire poterunt celeritate terminari quàm diligenter studeant, ac litigantium artibus in litium contestationibus, vel alia Judicii parte procrastinanda, sive statuti termini præfixione, sive competenti alia ratione occurrant, præsertim ubi agitur de piis locis, quorum indemnitati, quantùm fieri potest, semper est consulendum, de alimentis præstandis, mercedibus solvendis,

D mise-

(o) *Sess. 25. cap. 10.* (p) *De refor. in 6.* (q) *Catalogus Judicum in calce hujus Synodi legi potest.*

miſerabilibuſque perſonis. Ex prædictis Judicibus Synodalibus poterunt Regulares ſibi eligere Conſervatores, qui eorum perſonas, bona, jura, privilegia, exemptiones, & immunitates defendant, ac tueantur, ſervatis tamen conditionibus a Gregorio XV. necnon a Sac. Conc. Trident. præſcriptis, atque ab Innoc. X. confirmatis. Quòd ſi secùs, quàm juxta formam in Apoſtolicis Conſtitutionibus ſtatutam, iidem Regulares elegerint aliquos ad munus Conſervatoris obeundum, nominaverint, ſeu reipſa deputaverint, aut electis, nominatis, ſeu deputatis uti auſi fuerint, utriuſque vocis privationem ipſo jure incurrent; neque ab hac pœna ab ullo, præterquàm a Romano Pontifice abſolvi poterunt, prædictorumque omnium Conventus, Monaſteria, & loca hujuſmodi, ac eorum perſonæ, & bona Conſervatore carebunt ad annum; ipſos tandem Regulares monemus, ut facta electione alicujus ex ſupradictis in Conſervatorem, hujuſmodi electionis, ſeu aſſumptionis documentum penes acta noſtræ Curiæ exhibeant, & dimittant, aliàs electio ad nihilum ſuffragabitur, omniaque acta a prædicto Conſervatore nulla, & irrita erunt.



TI-

TITULUS III.
De Qualitate Ordinandorum.

CAPUT UNICUM.

Duos Fratres non esse facilè adscribendos Militiæ Ecclesiasticæ, neque unicos; Patrimonium constituendum integrè Ordinando in susceptione Clericalis Tonsuræ, relicta per Patrem æquali portione aliis filiis, & sibi, sancitur.

NE qua in parte Sacros. Conc. Tridentino adversari videamur, dicenti: quàmplures plerisque in locis, ad Ordinum susceptionem admitti ferè nullo delectu; atque etiam ad tollendas (quoad fieri potest) Universitatum Laicalium querimonias, propter adscriptorum Militiæ Clericali multitudinem; cùm persæpè eveniat in una domo multos esse, qui Divinis mancipantur officiis, non tamen ut fidelem Deo cultum præstent, sed potiùs fraude fugiendi judicii Secularis (r), & minùs solvendi onera Secularibus imposita, ac aliquando ad Ordines assumi, qui unici sunt, quique etiam Patrimonium, quo alantur, integrum non habent, etsi in Sacrorum Ordinum susceptione fictè, & fraudulenter apparere faciant, se illud integrè, & pacificè possidere; ex quo interdum fit, ut non habentes deinde unde honestè vivant, vel sordidum quæstum cum Ordinis dedecore exerceant, vel victum ostiatim sibi quærere cogantur. Idcirco hoc præsēti Decreto cunctis pateat, & innotescat, Nos posthàc nullo pacto promoturos ad Ordines, sive majores, sive minores, etiam ad primam Clericalem

D 2 Ton-

(r) *Conc. Trid. sess. 23. cap. 4.*

Tonsuram, eos, qui conditiones, & qualitates a Sacris Canonibus requisitas non habuerint, ac etiam non tam facilè insignituros prima Clericali Tonsura illos, qui etsi ceteroquin cunctis conditionibus, & qualitatibus per eosdem Sacros Canones requisitis præditi invenirentur, haberent tamen vel alios Fratres, sive Fratrem, qui Divinis forent mancipati officiis; nec omnino, qui unici essent; Item constare debere in nostra Curia, Promovendum posse vivere honestè ex suis veris, & Patrimonialibus bonis; Quorum integra assignatio ex tunc in anteà fiat Promovendo ad primam Clericalem Tonsuram in ipsius promotione; Nec ullatenus, sciant, Nos medietatem Patrimonii admissuros, prout ante Præsulatum nostrum, Illustrissimus Prædecessor noster fieri sinebat; Necnon (remota omni fraude, & fallacia) constare debere, relictam esse æqualem portionem bonorum Patrimonialium singulis aliis Fratribus, si quos fortasse habeat, ac ipsimet Patri, ne ulli umquam injuria fiat, & fraudibus prorsus in futurum aditus præcludatur.

TITULUS IV.

De Vita, & honestate Clericorum.

CAPUT I.

Clerici ne deferant Vestes breves more Laicorum.

ETsi in Synodicis Sanctionibus præfati nostri Prædecessoris *Tit. 27. de Vita, & Honestate Clericorum cap. 20.* nonnulla utiliter statuta fuerint de delatione ve-

vestium, quas decet omnino Clericos deferre; Nos tamen illa magis explicando, districtè præcipimus omnibus, tam majoribus, quàm minoribus, etiam Clericali Tonsura insignitis, cujuscumque qualitatis, & conditionis existant, ne sive in Ecclesia, sive extra eam gestent vestem brevem, quamvis nigri coloris, cum ansis magnis, sive manicis appensis, neque concinnatam, cum aperturis ex utroque latere partis anterioris, vulgò dictis *le finte* Laicorum more; si secùs fecerint, medietate pœnæ in illis præscriptæ, & appositæ mulctabuntur, ut juxta Sac.Conc.Trid.Statuta(s), per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant.

CAPUT II.

Faciendam esse Congregationem, quæ appellatur Patris Pavonii juxta methodum traditam in nostris Edictis Quadragesimalibus, proponitur. Pœna in transgressores statuitur.

SEdulò, ac seriò perpendentes, morum bonitatem in Populo, præcipuè ab eis originem trahere, qui se Divino ministerio manciparunt, juxta Prophetæ Malachiæ eloquium (t): *Labia Sacerdotis custodiunt Scientiam, & Legem requirant ex ore ejus*: Unde non immeritò Sacerdotes antiquæ Legis, ut refert S.Gregor. Nyssenus, in vestibus suis has duas Hebraicas dictiones scriptas deferebant: *Urim*, *Tummim*, quæ Latino idiomate idem sonant, ac *Doctrina*, & *Veritas*; ex quo Sacerdotes, aliis præbere doctrinam, & spiritu præcellere debere, omnibus exploratum est, cùm reliqui de Populo in eos, tamquam in speculum, oculos coniiciant, ut sumant ex eis quid imitentur, ne fortè illud aliud

Sacri

(s) *Cap. 5. Sess. 14. de reformat.* (t) *Cap. 2. 7.*

Sacri Va tis adimpleatur (u), quòd multiplicentur Altaria ad peccandum, & fiant Aræ in delictum. Itaque expressè, & districtè præcipimus universis Parochis, ut singulis hebdomadis, die ab ipsis assignanda, se congregent in suis Ecclesiis, unà cum ceteris de Clero, ibiq; fiat duorum casuum moralium discussio per eos proponendorum, saltèm sex diebus ante discussionem, ut quilibet illis valeat studere, & benè præbere responsum, cùm interrogatus fuerit; & responsiones fiant, tam in scriptis, quàm oretenus, juxta methodum traditam a Nobis in Edictis Quadragesimalibus. Verùm ubi fuerit numerus minor Ecclesiasticorum, nimirum infra sex, ne hi otio torpeant, & debita scientia paulatim destituantur, jubemus, ut singuli, sive Parochi, sive in Sacris, & minoribus constituti, conficiant sibi singulos libellos, in quibus manu propria adnotent propositiones, & responsiones casuū moralium, quos discutere tenentur ceteri aliorum locorum nostræ Diœcesis, ubi major fuerit Congregatio. Itemque eodem tempore fiant alia exercitia spiritualia ad præscriptum Congregationis, quæ appellatur Patris Pavonii, de ordine nostro erectæ, ac fundatæ a primis diebus nostri adventus ad hanc nostram Cathedralem, in tota Diœcesi; Sitque illorum mora in eisdem exercitiis peragendis hora una, sub pœna transgressoribus, & absque justa causa absentibus unius caroleni pro qualibet vice: & post aliquam notabilem summam, ex mulctis transgredientium per eosdem Parochos collectam, emantur Libri spirituales, sive morales, qui asserventur in Sacristia ad universorum usum, & profectum; ac ita meliores effecti, doctrina, vita, & exemplo, ædificent domum, ideſt familiam Dei.

TI-

(u) *Osee* 8. 11.

TITULUS V.

De Dignitatibus, & Canonicis.

CAPUT UNICUM.

Dignitates, & Canonicos nostri Capituli Triventini honorandos esse inculcatur.

TAnta hodie inolevit temeritas quorumdam Clericorum hujus nostræ Civitatis, & Diœcesis, tam majoribus, quàm minoribus Ordinibus insignitorum, ut putantes, ferè nullum discrimen esse inter ipsos, ac Dignitates, & Canonicos nostri Capituli, minùs eos debito prosequantur honore, tam in Ecclesia, quàm extra eam; At verò Nos nimiùm exoptantes, ut eis a cunctis, ut par est, debitus præstetur honor, sub pœnis nostro arbitrio, pro modo culpæ infligendis, præcipimus omnibus prædictis Clericis, tam in minoribus, quàm in sacris constitutis, sive Civitatis, sive Diœcesis, ne deinceps audeant, nedum quempiam eorum verbis contumeliosis afficere, sed nec per medium, sive ante eos transire capite tecto, prout a multis accepimus ab ipsis fieri; Quinimo, & in Ecclesia, & ubilibet illos venerentur, omnesque actus reverentiæ erga eos ostendant, ut ita Ecclesiastica Hierarchia conservetur, & qui in Dignitate constituti sunt, a ceteris inferioris ordinis per hæc, & alia similia reverentiæ signa dignoscantur; quo itidem honore, sub eisdem comminatis pœnis, prosequi debeant omnes Parochos, sive Curatos, nostros Vicarios Foraneos, ac Examinatores omnes Synodales, tam Seculares, quàm Regulares ejusdem nostræ Diœcesis.

TI-

TITULUS VI.

De Parochis.

CAPUT I.

Libros Parochiales asservandos fore per Parochos in Sacristia, non verò in eorum domibus, edicitur.

AD nostras pervenit aures, multos Parochorum hujus nostræ Diœcesis retinere penes se in propriis domibus libros Parochiales; cùmque incongruum sit, illos asservari in domibus, & non potiùs in Sacristia, sancimus propterea, ne in futurum sub pœna nostro arbitrio asservēt præfatos libros in suis domibus, sed solùm in Sacristia, vel in aliquo alio Parochialis Ecclesiæ aptiore loco in capsa bene clausa; Hocque ad evitanda sinistra accidentia, fraudes, & calumnias, quæ umquam contingere possent, ceu nobis, aliquibus illorum evenisse, compertum est.

CAPUT II.

Jubentur Parochi munus Prædicationis exercere juxta Concilii Tridentini præceptum, ac quædam alia peragere.

NOn sine maximo animi nostri mœrore audivimus, quosdam Parochos nostræ Diœcesis sui muneris oblitos, officium prædicationis verbi Dei (quod ipsorum est) ferè numquam exercere, cum non mediocri animarum suæ ipsorum curæ, & solicitudini commissarum detrimento. Ideo omnes nostros intendentes nervos, ut huic malo occurramus, sub gravibus pœnis nostro arbitrio

trio, præcipimus eis, ne posthàc hujusmodi officium ullatenus prætermittant, sed juxta Sac. Conc. Trid. Statuta [x], diebus Dominicis, ac Solemnioribus Festis Sacrũ Jesu Christi Euangelium Populo annuntient, & declarent, brevi, facilique sermone pro suo, suarumque ovium captu, & hoc in Altari, in quo Divinum peragunt Holocaustoma, idest Sacrificium, memores illius Ezech. (y): *Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: nonne Greges a Pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis: Gregem autẽ meum non pascebatis.* Et ne a quopiam decipiamur, & impl̄nemur, mandamus, ut singuli eorum conficiant Librum, in quo ordinatè adnotent, seu registrent punctum alicujus virtutis, seu vitii, sive Mysterii, de quibus habuere sermonem; quem Librum, cùm requisiti fuerint, teneantur (nulla interposita mora) ad Nos, vel nostrum Vicarium Generalem transmittere, ut si aliquem segnem, & inobedientem invenerimus, ad dignam coercitionem devenire possimus. Si quis autem Parochorum (quod non tam facilè credimus) penes se aliquos, vel aliquem saltèm librum impressum, tractantem de modo sermocinandi non habuerit, sicut & si usque adhuc sibi de libris ad meditationes faciendas in superiùs recensita Congregatione Patris Pavonii deservientibus, non providerint, jubemus, ut post unius mensis lapsum ab hujus Synodi publicatione, sibi ipsis provideant. Quòd si ulli ex eis non facile fuerit præfatos emere libros, quorum emptio exiguas requirit impensas, reddat de hoc Nos certiores, vel aliquẽ ex Examinatoribus Synodalibus nostræ Cathedralis, nam brevì illos emendos, & ad ipsos transmittendos curabimus. Qui secùs fece-

E rint

(x) Sess. 24. cap. 4. (y) Cap. 34. 2.

rint, graviter pro modo culpæ plectentur.

TITULUS VII.

De Celebratione Missarum.

CAPUT I.

Traditur ratio Sacerdotibus nostræ Diœcesis registrandi, & adnotandi Missas, quas celebrant singulis diebus.

LIcèt ex nulla parte credamus, in hac nostra Diœcesi adesse Sacerdotes, qui ex diversis devotis (quorum alter alterum ignorat) non exigua onera Missarum, ultra illud propriæ Ecclesiæ, cujus servitio sunt adscripti, accipiant, quibus deinde satisfacere valeant; attamen quia etiam conduntur Leges ad occurrendum, & præcavendum alicui malo, quod de facili in futurum evenire posset, & præsertim scandalo, quod Laici paterentur, si certò ipsi scirent, Presbyteros exercere hujusmodi iniquum, injustum, & detrimentosum mercimonium, ob quod homines pii sua devotione frustrarentur, & quandoque Animæ Purgantes, pro quibus ut plurimùm Missæ celebrari solent, expectatum ab eis suffragium non sentirent; meritò hoc Decreto præcipimus, & districtè mandamus omnibus, & singulis Sacerdotibus hujus nostræ Triventinæ Diœcesis, ut post intercapedinem unius mensis ab harum Synodalium Constitutionum promulgatione, omnimodè conficiant parvum Librum, in cujus capite adnotantes Annum, & Mensem, registrent deinde Locum, Ecclesiam, & Altare, ubi celebraverint, & cui obligationi satisfecerint; exprimentes pariter Personam, a qua pecuniam, & quamcumque

aliam

aliam rem pro Missarum celebratione receperint; atque in prima Missa ab eis celebranda, satisfacturis obligationi contractæ cum eadem Persona, registrent distinctè, & clarè summam pecuniæ, aut valorem rei sibi ipsis traditæ; explicent quoque numerum Missarum, quas celebraturi erunt ob pecuniam, vel rem eis erogatam, ac tempus etiam, infra quod se illis celebrandis devinxere, & obligavere; quem Librum quilibet Sacerdos asservet, Nobis, vel nostro Vicario Generali, ut requisitus fuerit, tradendum; nam fortasse reclamantes, seu recursum habentes ad Nos, vel ad nostram Curiam, qui ipsis Sacerdotibus pecuniam, sive quamlibet aliam rem pro Missarum celebratione tradiderint, quiescant, & obmutescant exhibitione Libri; ac ita de fraudibus eis non ampliùs relinquatur ambigendi locus. Hoc nostrum Decretum violantes, pœna sex ducatorum noverint se fore irremissibiliter mulctandos.

CAPUT II.

A quibus se abstinere debeant Neomystæ, cùm primò sunt celebraturi.

INcongruus planè, & indecorus est nobis visus usquemodo observatus usus in hac nostra Diœcesi, ut scilicet cùm aliquis novellus Sacerdos primam esset celebraturus Missam, omnes de Clero Superpelliceis induti se conferrent ad Domum ipsius Sacerdotis, ibique eum indumentis Sacerdotalibus ornatũ & redimitum, unà cum duobus Ministris ducerent personaliter in Ecclesiam, in qua erat celebraturus, ac deinde, (ceu solet fieri a sponsis cùm primò traducunt suam ipsorum sponsam ad domum) convivia, & comessationes fiebant, choreæ du-

cebantur, pæanes canebantur, & convivæ inter scyphos ludebant, quod universis scandalo erat, & admirationi. Quare Nos, ad quos spectat inconveniētibus occurrere, ac malis omnibus providere, decernimus, hæc, & similia in his casibus, imposterùm prorsus vitanda ab hujusmodi novellis Sacerdotibus, ac omnibus de Clero sub pœna nostro arbitrio; Indulgentes solùm ipsis Sacerdotibus, ut valeant impunè quamdam mediocrem celebrare festivitatem, sine tamen tripudiis, & cantilenis: & ad mensam Ministros, & Consanguineos adhibere; ut tandem omnibus in suis actionibus Ecclesiasticæ Personæ ædificent, & plantent (z), non verò dissipent, destruant, & evellant.

TITULUS VIII.

De Sponsalibus, & Matrimoniis.

CAPUT UNICUM.

Parochi ne assistant Matrimoniis, tam inter Cives, quàm inter Exteros, nisi capta per nostram Curiam informatione de statu libero contrahere volentium, & licentia assistendi in scriptis obtenta.

QUia in contrahendis Matrimoniis quandoque solent dolosè, vel vera impedimenta conticeri, vel falsa apponi; quorum primum efficit, ut deinde si detegantur, connubia annullentur, non sine maximo scandalo, & Contrahentium, ipsorumque Consanguineorum dedecore, & propriæ existimationis diminutione; secundum verò, ne ea absque justa causa contrahantur: Quare ad his tantis malis occurrendum, præci-

pimus

(z) *Jerem.* 1. 10.

pimus Parochis, ut quemadmodum eis in primo nostro Edicto Quadragesimali mandatum fuit, ne Matrimoniis assistant tam Civium, quàm Exterorum, non præmissis priùs denuntiationibus in Ecclesia, capta per nostram Curiam informatione de libero Contrahentiū statu, juxta formulā Instructionum Sacræ Congregationis Universalis Inquisitionis S. Officii de Urbe, appositam in appendice Synodicarum Constitutionum nostri Prædecessoris, ac obtenta demum a Nobis, vel nostro Vicario Generali facultate assistendi, in scriptis concedenda. Ita de cetero adamussim exequantur, & omnino adimpleant; si secùs fecerint, graviter nostro arbitrio mulctabuntur.

TITULUS IX.

De Privilegiis.

CAPUT UNICUM.

Decorantur Examinatores Synodales Capituli nostræ Cathedralis quibusdam facultatibus.

UT celeriùs expediantur negotia Parochorum, & Confessariorum hujus nostræ Diœceseos, non raró epistolas ad Nos mittentium gratia consequendi facultatem a casibus reservatis absolvendi, variis ut plurimùm distentos curis, & negotiis, quæ quandoque haud sinunt, Nos posse illis extemplo præbere responsum, & necessariam potestatem eisdem impertiri: idcirco statuimus, & decernimus, ut de cetero quotiescumque prædictis Parochis, & Confessariis hujusmodi facultate opus fuerit, postulent illam per litteras a Synodalibus Examina-

minatoribus Capituli nostræ Cathedralis, quos tantùm, non verò alios Diœcesis ea præditos esse volumus: Qui etiam valeant impertiri licentiam exercendi opera servilia diebus Festis (justa, & gravi tamen concurrente, & impellente causa), necnon prorogare litteras Systaticas, sive Dimissorias, & Patentales Confessariorum, Nobis verò, vel nostro Vicario Generali consultis; ut si fortè quandoque ulli aliqua ex prædictis licentiis denegandа sit, per Nos, vel eumdem nostrum Vicarium Generalem, id eis innotescat, & certiores reddantur. Ac denique novellos Sacerdotes super Sacrificii Missæ ceremoniis examinare: quos si illis rite imbutos, instructosque repererint, ad idem Missæ Sacrificium peragendum admittant; attamen nolumus, ut sint obnoxii respondendo prædictis petitoriis litteris, sed solùm in illarum calce petentibus licentiam impertiantur.

TITULUS X.

De Pœnitentiis, & Remissionibus.

CAPUT UNICUM.

Parochi, & Confessarii audiant Confessiones Sacramentales in Ecclesia induti Superpelliceo, & Stola.

Præcipimus, & mandamus omnibus, & singulis Parochis, & Confessariis nostræ Diœcesis, ut in administrando Sacramentum Pœnitentiæ in Ecclesia, utantur omnino tum Superpelliceo, tum Stola pro decentiori ejusdem Sacramenti administratione; In locis verò montuosis prædictæ nostræ Diœcesis, in quibus hiemali tempore maxima solent esse frigora, permittimus eisdem

Pa-

Parochis, & Confessariis, ut super Superpelliceum, & Stolam, in excipiendis Sacramentalibus Confessionibus adhibere valeant & Pallium. Si quis autem horum, sive Parochorum, sive Confessariorum hoc præsens Decretum infringere ausus fuerit, ad pœnam unius auri pro qualibet vice indispensabiliter condemnabitur.

DECRETUM

De iis, quæ ad Nostri Prædecessoris, & Nostræ Synodorum Constitutiones pertinent.

HAs nostras Constitutiones Synodales, quibus Nos confirmantes, & approbantes Synodica Decreta Illustriss. & Reverendiss. Domini nostri Prædecessoris Fratris Antonii Tortorelli b. m. aliqua illis adjecimus, aliqua abrogavimus, aliqua de eis detraximus, aliqua verò magis explicuimus & enucleavimus, omnimodè ab omnibus, & singulis nostræ Jurisdictioni subjectis cujuscumque gradus, & dignitatis sint, observari mandamus (abrogatis tamen, & deletis omnibus Edictis per Nos emanatis a nostro adventu in hanc Cathedralem, usque ad celebrationem præsentis Synodi) ipsosq; obligare, & afficere, ac si unicuique specificè, & personaliter fuissent intimatæ. Quod ut faciliùs evenire possit, Vicariis Foraneis, Parochis omnibus, Clericis tam majoribus, quàm minoribus Ordinibus insignitis, ac universis Beneficium, vel Beneficia cujuscumque generis obtinentibus, de his sibi provideri, easque sæpesæpiùs revolvere, injungimus, ut in his perlegendis, eà, quæ ad ipsos pertinent, scire valeant, & ne quandoque temporum injuria in desuetudinem eas abire cõtingat.

Si-

Si aliquam ſuper hujuſmodi Cõſtitutionibus ambiguitatem, ſucceſſu temporis oriri contigerit, Nobis, & Succeſſoribus noſtris declarandam reſervamus, cum facultate interpretandi, moderandi, ac etiam in partem, vel in totũ derogandi; auctoritatem noſtram hìc limitare non intendentes, ſed arbitrio noſtro reſervantes addere quæcumq; prout juxta opportunitatem, ac Eccleſiarum, Subditorumque utilitatem expedire in Domino judicaverimus. Ubicumque de pœnis arbitrariis egimus, declaramus ſolùm eas locum habere ubi in Jure certa non habetur impoſita pœna, vel ubi delicti exceſſus de Jure non requirit majorem illa, quæ ſtatuta fuit pro modo culpæ, & juxta facti, ac perſonarum qualitatem. Quoad verò pœnas pecuniarias, illas, vel locis piis indigentibus, vel pauperibus locis, miſerabilibuſque perſonis, arbitrio noſtro (etiam ubi non exprimatur) applicandas eſſe volumus, & decernimus; reſervantes etiam Nobis facultatem eaſdem pœnas pecuniarias, mulctaſque moderandi, commutandi, aut in totum condonandi, & relaxandi, prout nobis magis expedire videbitur: auctoritate tamen S. Sedis Apoſtolicæ ſemper ſalva, cujus arbitrio, & voluntati Nos ipſos, & omnia hæc ſubjicimus corrigenda.

DECRETUM

De Synodi Concluſione.


HÆc ſunt, quæ Spiritui Sancto, & Nobis decernenda, & promulganda viſa ſunt in præſenti noſtra Prima Diœceſana Synodo, quam optatum finem conſecutam complemus; propterea ipſam, Deo, qui eamdem cepit, & perfecit, gratias agentes, concludendam eſſe decernimus, & concluſam denuntiamus. DE-

Vide in alia Synodo [illegible] 1727.

DECRETUM

De Synodi Dimissione.

AD laudem Omnipotentis Dei, Beatissimæque Virginis MARIÆ,ac Sanctorum Patronorum,& Tutelarium nostrorum Nazarii, Celsi, & Victoris, necnon Sancti Patris Benedicti, aliorumque Sanctorum,dissolutam, ac dimissam Synodum decernimus; ita ut unicuique licitum sit ad proprias Ecclesias redire. Hortamur autem in Domino & obsecramus omnes vos,Fratres charissimi,ut tales vos præbeatis in ministerio vestro, quales maximè convenit Sacerdotibus omni mundanorum cura segregatis. Illudq; maximè, cùm redieritis,præstandum erit:ut Populus vos ab hac Synodo non mediocrem fructum reportasse, intelligat. Id fermè fiat; si novo Spiritus Sancti lumine illustrati, quæ est magna Synodorum vis, & virtus, ceteris in omni opere vestro imposterùm prælucere studueritis, & in omni parte officii vestri omnem diligentiam adhibueritis. Quod ipse vobis Dominus, & luminum Pater concedat,donet, & impertiatur.



CATALOGUS

Judicum, & Examinatorum Synodalium ab Illustriss. & Reverendiss. D. Episcopo Triventino pro Diœcesis amplitudine usque ad alteram Synodum electorum, & ab universa Synodo per verbum Placet *receptorum, prout in Actis.*

JUDICES SYNODALES.

Ex Reverendiss. Cathedralis Capitulo.

Perill. & Ad. Rev. D. Nazarius Colaneri U. J. D. Archidiaconus.
Perill. & Ad. Rev. D. Januarius de Donatellis U. J. D. Archipresbyter.
Perill. & Ad. Rev. D. Nicolaus de Donatellis Thesaurarius.
Perill. & Ad. Rev. D. Dominicus Brindesi Cantor.
Illust. & Ad. Rev. D. Jo: Claudius Bolognese Canonicus.
Deputatur iis, qui non sunt U. J. Doctores in Assessorem Rev. D. Joseph de Alena U. J. D. Oppidi Frusinonis hujus Diœcesis.

EXAMINATORES SYNODALES.

Ex Clero Seculari Urbano.

Perill. & Ad. Rev. D. Nazarius Colaneri U. J. D. Archidiaconus.
Perill. & Ad. Rev. D. Januarius de Donatellis U. J. D. Archipresbyter. Per-

Perill. & Ad. R. D. Franciscus de Ovidio Primicerius.
Perill. & Ad. Rev. D. Nicolaus de Donatellis Thesaurarius.
Perill. & Ad. Rev. D. Dominicus Brindesi Cantor.
Illust. & Ad. Rev. D. Jo: Claudius Bolognese Canonicus.
Ill. D. Abbas Alexander Rossetti U. J. Professor.

Ex Clero Seculari Foraneo hujus Diœcesis.
Ex Civitate Angloni.

Mult. Rev. D. Joseph Fiorito Archipresbyter.
Rev. D. Nicolaus Longhi Rector Curatus Parochialis Ecclesiæ S. Nicolai.
Rev. D. Nicolaus de Antenuccio U. J. D. Rector Curatus Parochialis Ecclesiæ S. Antonii Abbatis.
Rev. D. Agnellus Jonata U. J. D.
Rev. D. Nicolaus de Sanctopetro.

Ex Oppido Frusinonis.

Mult. Rev. D. Jo: Baptista Raffaele Archipresbyter.
Rev. D. Hieronymus de Alena U. J. D. Rector Curatus Parochialis Ecclesiæ S. Angeli.
Rev. D. Joseph de Alena U. J. D.

Ex Oppido Torellæ.

Ill. D. Abbas Joseph Mascione U. J. D.

Ex Oppido Castrisangri.

M. Rev. D. Joseph Mancino U. J. D. Archipresbyter.
Rev. D. Michael Mancino U. J. D. Rector Curatus Parochialis Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ.

Ex Clero Regulari.

M. Rev. P. D. Gregorius Tarallo, Ord. S. Benedicti Congregationis Cœlestinorum, Prior Ven. Monasterii Civitatis Angloni.
M. Rev. P. Antonius Sapio Præpositus Collegii Clericorum Regularium dictæ Civitatis.

R.P.Lector Fr. Humbertus Semprebuono,Ordinis Prædicatorum.

Rev. P. Fr. Anſelmus Filacchione,Ord. Min. Conventualium S. Franciſci, S.Theologiæ Regens.

Rev. P. Fr.Felix de Alena Baccalaureus,ejuſdem Ordinis.



RO-

ROGITUS.

Præſidente Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Domino D. Alphonſo Maſconda Epiſcopo Triventino, ac præſente Reverendiſs. Cathedralis Capitulo, univerſoque ejuſdem Civitatis, & Diœceſis Clero, ſervatis de more ſervandis, legitimè congregatis, omnes, & ſingulæ ſupraſcriptæ Conſtitutiones, ac Synodalia Decreta pluries in privatis Congregationibus a Viris doctrina præditis; prudentia, atque pietate præſtantibus, quàm diligenter diſcuſſà, alta, & intelligibili voce ex ſuggeſtu Cathedralis Eccleſiæ lecta, & publicata fuerunt a Perill. ed Adm. Rev. Domino Dominico Brindeſi Cantore ejuſdem Eccleſiæ, & hujus Synodi Secretario a Dominatione Sua Illuſtriſſima deputato, ab omnibuſque, de Capitulo, & Clero unanimiter, ſponte, & liberè recepta fuerunt, inſtante Ill. & Ad. R. D. Canonico Nicolao Pompilio prædictæ Diœceſanæ Synodi Promotore, qui acceptatis, &c. petiit ad omnem bonum finem, & effectum, & ſpecialiter, ut de præhabitis in futurum ſemper conſtare valeat, neve umquam ab aliquo, vel aliquibus allegari poſſit ignorantia, per me infraſcriptum Cancellarium Reverendiſſimæ Curiæ Epiſcopalis, ac publicum Apoſtolica auctoritate, & præſentis Synodi Notarium, ut unum vel plura conficerem, atq; traderem Inſtrumentum, & Inſtrumenta, prout opus fuerit, & requiſitus ero. Unde, & c.


Acta fuerunt ſupradicta in Cathedrali Eccleſia Civitatis Triventi Anno a Nativitate Domini Milleſimo ſeptingẽteſimo vigeſimo primo, Indictione Decimaquarta, Pontificatus autem SS. in Chriſto Patris. & Dom. D. Innocentii Divina Providentia Papæ XIII. Anno primo;

Die

Die verò vigesimasexta Julii unica Sessione rite, & juxta formam consuetam habita, multis ibi præsentibus, & audientibus, & præsertim RR. DD. Andrea Felice, Marino de Paulo, & Francisco de Mastojacuo, Testibus ad præmissa omnia specialiter habitis, atque rogatis, &c.

Et quia ego D. Joannes Claudius Bolognese, Canonicus Triventinus, Cancellarius Reverendissimæ Curiæ Episcopalis, Publicus Apostolica auctoritate, dictæque Synodi Notarius, de prædictis omnibus, & singulis rogatus fui, ideo in fidem hic me subscripsi, publicavi, meoque solito Signo signavi, & munivi.

Locus ✝ Signi.



EDI-

EDICTUM

Super Synodi Publicatione.

ALPHONSUS MARICONDA,

Patritius Neapolitanus, Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus Triventinus, eidem S. Sedi immediatè Subjectus, Sacræ, Cæsareæ, ac Catholicæ Majestatis Consiliarius, &c.

CUm in cassum cōdantur Leges, nisi eas observandas Conditor Legum obnixè procuret; neque a quoquam hæ, ut par est, observabuntur, si postquam conditæ fuerint, illarum publicatio negligatur; Nos itaque, qui primam Diœcesanam Synodum, servatis servandis sub die 26. Julii anni 1721. in Cathedrali nostra Triventina habuimus, volumus & mandamus, ut quidquid in eadem ad Dei Gloriam, spiritualemque Animarum nostræ Pastorali solicitudini, ac vigilantiæ commissarum profectum sanximus, & statuimus, post Mensem a die affixionis præsentis Edicti, juxtà morem ad valvas recensitæ Cathedralis faciendæ, vim publicæ, & inviolabilis Legis habeat, & habere debeat; ita, ut post dicti termini lapsum, omnes, & singuli cujuscumque gradus, dignitatis, & conditionis existant, tam in Civitate, quàm in Diœcesi omnia, & singula Synodica acta, & Decreta ad amussim observare adstringātur, non secùs ac si fuissēt cuilibet personaliter intimata & notificata. Unusquisque igitur exactè illa custodire non tam mulctarum formidine, quas contra trāsgressores minitati fuimus, quàm vir-

virtutis amore, pro posse conetur. Ita enim a Nobis, imò veriùs a Cœlesti Patrefamilias, qui Nos in hac sua Vinea Cultores, & Operarios posuit, quisquis non auditor tantùm, sed factor Legis fuerit, poterit promissam uberem illam custodienti retributionem procul dubio præstolari, & promereri. Et ne de præmissis, &c. ideo, &c. aliàs, &c. Datum Angloni die 22. Junii 1723.

ALPHONSUS EPISCOP. TRIVENTINUS.

Locus ✠ Sigilli.

D. Cantor Brindesi Secr. Synodi.



IN-

INDEX

Titulorum, & Capitum Constitutionum Synodalium.

FINIS.

